



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

LXVII. Decreta pro Provincia Portugalliæ Fratr. Carmelitarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

tempore expectabit, inviolabiliter volumus, ut observentur, eas propterea auctoritate, qua fungimur Apostolica omni meliori modo corroborantes, & confirmantes. In quorum &c. Datum Lucernæ 23. Novembr. 1694. - M. Archiepiscopus Athenarum Nuncius Apostolicus - Jo. Ant. Rusconus Cancellarius &c.

Eadem Decreta confirmata fuere a Cong. Episc. & Reg.

§. 2. Et proinde pro parte dictorum Fratrum prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut eadem Decreta, quippe, quæ a quibusdam in controversiam vocari posse dubitabant, similiter confirmaret: dicta Congregatio Cardinalium per suum itidem Decretum die 11. Septembris proxime præteriti emanatum, audito dilecto filio Procuratore Generali Ordinis supra dicti, & attentis narratis, petitam confirmationem Fratribus prædictis benigne concessit.

Preces FF. Provincia.

§. 3. Cum autem sicut iidem Fratres Nobis postmodum exponi fecerunt ipsi præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desiderent. Nos eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, præinserta dicti Ministri Generalis Decreta, a memorata Cardinalium Congregatione, ut præferretur confirmata, necnon pro eorum executione, & observantia emanatum a prædicto Marcello Archiepiscopo, & Nuntio Decretum itidem præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervernerint supplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausula.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Januarii MDCXCVI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXVII.

Confirmantur Decreta Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum pro Provincia Portugaliæ.

Laudantur hic nonnullæ Constitutiones. Hujus Pontificis Const. ed. 1692. Octob. 11. P. 2. extant Decreta circa studia, & Clem. XI. Const. ed. 1707. Aug. 31. P. 7. agitur de hujus Provinciæ Religiosis Musicis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Feixoo de Villalobos Prior Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod ipse in Visitatione, quam alias fecit Provinciæ Portugaliæ dicti Ordinis pro conservanda, & augenda in Provincia hujusmodi regulari observantia, de consensu totius Diffinitorii ejusdem Provinciæ nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur videlicet:

Dat. 11. Febr. 1696. An. 5.

Inferentia Decreta condita fuere in Congregatione Provincie.

§. 1. Fr. Joannes Feixoo de Villalobos Sacræ Theologiæ Magister, ac humilis Prior Generalis, & Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Antiquæ Observantiæ Regularis.

Decreta prædicta.

§. 2. Cum ad majorem nostri Ordinis conservationem, & propagationem, bene, sapienterque a majoribus Nostris sancitum sit, quod in singulis Provinciis fiant quolibet anno Congregationes Diffinitoriales, quarum ea præcipua cura sit omnes abusus injuria temporum irrepentes, vel eliminare, vel impedire, etiam opportuno novarum Ordinationum remedio; Hinc in Congregatione Provinciæ nostræ Lusitanicæ a die quinta, usque ad diem nonam Junii Nobis Præsidentibus hoc anno 1694. celebrata, communi omnium sollicitudine, zelo, ac voto pro bono spirituali, ac temporali præfatæ Provinciæ Decreta sequentia condita fuerunt.

De receptione ad habitum, & Professionem.

Primum. Nullus ad Sacrum nostri Instituti habitum, multoque minus ad Professionem in Vicariis Brasiliens., Maragnonen., & Flurii Januarii, nomine Rivus Provinciæ admitti possit, nisi prævio consensu Provincialis, & totius Diffinitorii ejusdem Provinciæ. Alias numquam ejusdem Provinciæ, sed illius Vicariæ Alumnaus dicatur, & sit, in qua Professionem emiserit.

De Novitiatu, Novitiis, & Professis.

Secundum. Quatuor tantum Novitii pro quolibet anno, & pro tota Provincia in posterum admittantur regulariter, ac insuper extraordinarie unus etiam pro quolibet senario numero Religiosorum in dicto anno ex hac vita decedentium: & hoc sub pœna privationis ab Officio, tam Provincialis, quam Priorum, & Clavariorum, si quemlibet alium ultra præscriptum numerum admittent. Si tamen dicto numero completo aliqui ex Regni Magnatibus, aut primariis Nobilibus, alias idoneus habitum Nostrum efflagitaverit, tunc Provincialis recurrere possit ad Reverendissimum totius Ordinis Generalem pro dispensatione obtinenda. Pro Domo Novitiatus designantur Conventus Ulyssiponen., & vulgo dictus Cogliares, a quibus Novitii nunquam removeri possint, neque post emissam professionem, nisi prævio examine approbati pro Scholasticis studiis, illico ad Collegia dirigantur. Porro nemo deinceps ad habitum nostrum admittatur, nisi a Vocalibus Cœnobiorum fuerit per secreta suffragia approbatus, postquam per authentica documenta, vel opportunas informationes, aut alias præfatis vocalibus legitime constiterit de recipiendorum legitimis Natalibus, moribus, qualitatibus, aliisque requisitis a Sacro Concilio Trident., Constitutionibus Apostolicis, ac Ordinis, necnon Ordinationibus Reverendissimi Procuratoris Generalis a Sanctissimo Domino Nostrò per Literas in forma Brevis confirmatis sub die undecima Octobris anni 1693. Nemo similiter ad professionem admittatur, nisi præter alia de jure, sive com-

muni,

muni, five nostri Ordinis proprio, & municipaliter requisita, post diligens examen circa regulam, Constitutiones, Cæremonias nostras, & Cantum Gregorianum approbatus fuerit ab Examinatoribus ad hunc effectum a Provinciali pro tempore deputandis, super quo eorum conscientiam oneratam esse volumus. Qui vero contrafecerint, præter pœnas a suprascriptis Constitutionibus statutas, aliis etiam arbitrio Generalis subjaceant.

Tertium. Sacri Concilii Tridentini dispositio in *Cap. 16. Sess. 25. de Regularibus*, circa Novitiorum renunciaciones, aut obligationes, omnino intemerata servetur: ac proinde ante tempus ibidem statutum, ac multo minus ante habitus susceptionem, nulla pæctio super his, nulla conventio, vel expressa, vel tacita a nostræ Provincie Superioribus fiat, vel ab aliis facta toleretur, non obstantibus quibuscumque deprecationibus, ac importunis commendationibus, ut ita quævis simoniacæ labis species evitetur, ac in re tanti momenti qualis est Novitiorum receptio, nulla turpis lucris spes, aut temporalis utilitatis ratio ad minus dignorum admissionem Prælatos alliciat.

Quartum. Si ex persona alicujus nostræ Provincie Professi aliqua bona, vel hereditario, vel alio quocumque jure contingat nostræ Religioni acquiri, ea primo in extinctionem communium totius Provincie debitorum convertantur, & quod supererit pauperioribus Conventibus a Provinciali de consilio Diffinitorii applicetur, ea lege, ut ejusdem Conventus Prior, & Clavarii debeant prædicta omnia emolumenta in bonis stabilibus fructiferis, vel annuis aliis redditibus securis collocare, vel si ob aliquam necessariam causam servatis servandis distrahenda sint, teneantur quamprimum licuerit tantundem repone, ac eodem modo investire.

Quintum. Religiosorum ex hac vita decedentium spolia, nempe vestes, ac libri, & cætera, quorum usum, dum viverent a suis Prælatibus obtinebant ad formam Sacri Concilii Tridentini *Sess. 25. Cap. 2. de Regularibus*, & Decretorum san. mem. Clementis VIII. de reformatione, nostrarumque Constitutionum, vel pro communibus Provincie necessitatibus, vel ad utilitatem ejus Conventus, cui Defunctus fuerit affiliatus, applicentur juxta nostrarum Constitutionum præscriptum. Provinciales vero pro tempore existentes, quæcumque ratione spoliis recipient, atque distribuent, fideliter, ac diligenter adnotari curent in libro ad hunc finem specialiter designato, ac de omnibus sive datis, sive acceptis rationem reddant suis Diffinitoribus in Libro præfatto distincte referendam, ac ab eorum respectivè successoribus recognoscendam, & propria subscriptione firmandam.

Sextum. Nullus in posterum ad Prioratus, aut Subprioratus Officium promoveri, vel Concionator extra septa Monasterii per Literas patentes constitui valeat, qui ad audiendas sæcularium Confessiones non fuerit ab Ordinario Loci approbatus. Quod si ex præsentaneis Prioribus, vel Subprioribus, aliquis sit non approbatus, eandem approbationem unius mensis termino consequi debeat sub pœna privationis Officiorum respectivè, quatenus per ipsum steterit, quominus eam consequatur.

Septimum. Præsentati de gratia, qui ab anno 1670. citra, juxta dispositionem Rm̄i Orlandi in hac Provincia admittuntur cum voce, & loco in Capitulis Provincialibus, sicut in posterum de Justitia cum omnibus gratiis, præminentis, & prærogativis, alias regularem observantiam non lædentibus, quibus dicti Præsentati de Justitia in Ordine nostro, ac præcipue in hac Provincia fruuntur, & gaudent. Item ii, qui Lecturam de oppositione tenentes Tex-

tum super quatuor Evangelia forte ipsis contingentem termino viginti quatuor horarum explicaverint, ac secundum sensus Sacræ Scripturæ exposuerint, & prævia Examinatorum approbatione patentes Concionatoris Literas obtinuerint, ac ejusmodi munus per duodecim annos laudabiliter exercuerint in Ecclesiis Mouræ, Setuball, Eboræ, & Ulyssiponen., & in quolibet ex his duabus postremo loco nominatis per triennium saltem in suprascriptis duodecim annos utique computandum, & prædicta omnia requisita sufficienter justificaverint, si a Provincia exposculabuntur, inter præsentatos de Justitia adscribantur cum omnibus prærogativis, de quibus supra. Quoad Concionatores tamen actu existentes, & ætate provectos, possit Provincialis una cum suis Examinatoribus abbreviare prædictum tempus duodecim annorum, (dummodo non intra quadriennium) eosque ad gradum Præsentati de justitia promovere, qui post obtentam Lecturam de oppositione juxta superius dicta fuerint ad Concionatoris munus iterum approbati, illudque laudabiliter exercuerint saltem per quadriennium, habita ratione ætatis, studiorum, & ante actorum laborum, prout in Domino judicaverit.

Octavum. Ad nostrarum Monialium confessiones audiendas non deputentur, nisi Religiosi ætate provecti annorum ad minus quadraginta, bonis moribus, ac exemplaris, laudabilisque famæ testimonio commendati, & concionandi pariter, ut illas opportuna, gratuitaque verbi Dei prædicatione, aliisque spiritualibus exercitiis ad pietatem erudire, ac in via perfectionis dirigere valeant. Mane, & Vespere in Ecclesia exteriori, & cum eisdem in Ecclesia interiori congregatis Orationem Mentalem indispensabiliter frequentent: præter dies a Constitutionibus expresse designatos, quolibet etiam die Dominico, & quodcumque opus fuerit Sanctissima Penitentia, & Eucharistia Sacramenta petentibus administrent: Regulam, & Constitutiones apprimè calleant, earumque mensuram in publica Mensa lectionem, & quod caput est, exactam in omnibus observantiam, summo studio procurent. Provinciales vero in cujuscumque Monasterii visitatione super præmissis diligenter inquirent, ipsasque Moniales in scrutinio examinent: si quem culpabilem repererint punire, ac etiam pro modo culpæ remove teneantur. Porro nostri Collegii Conimbricensis Rector pro tempore Monialibus itidem nostris de Tentugal, & Prior Conventus vulgo de Deija Monialibus ibidem existentibus, ac tandem Prior Conventus Algarbiorum Monialibus vulgo de Lagos Confessarios extraordinarios suprascriptis qualitatibus præditos deputent quater in anno, quolibet scilicet triennio, qui consueta quoque nostri Ordinis beneficia eisdem conferre valeant.

Nonum. Sub nullo prætextu deferri possint in publicis Communitatis actibus, multoque minus in Ecclesia Togæ vulgo *Capotes*, seu *Gavanes*, quarum loco dumtaxat permittuntur in hyeme contra frigiditatem rigorem Cappæ albæ ex panno etiam sine Caputio confecta.

Decimum. Choristæ post inceptum Officium Chorum ingredientes, deosculata terra permaneant genuflexi usque ad nutum Superioris, quo habito, & deosculata iterum terra, ad suum locum pergant, idem toties præstando, quoties ob aliquam legitimam causam, ac de Superioris licentia eisdem a Choro exire contigerit. Sacerdotes vero post debitam Sanctissimo Eucharistia Sacramento genuflexionem, ac Superiori, & Communitati reverentiam, genuflexi terram digito deosculantur, ac post brevem Orationem, ad suum locum se conferant, a Choro nunquam recessuri cujuscumque gradus,

De abdicatione Novitiorum.

De bonis Professorum.

De Spoliis Religiosorum.

De Prioribus, Subprioribus, & Concionatoribus.

De Præsentatis ex gratia, vel Justitia.

De Confessoribus Monialium.

De Cappæ.

De Choro.

De ordine
inter Religio-
sos.

aut conditionis pretextu absque necessitate orenus, & non per nuntios Superiori communicata, & obtenta ab eodem licentia solitam Altari genuflexionem, & Communitati reverentiam præstabant.

Undecimum. In Processionibus aliisque Communitatis actibus quibuscumque Choristæ præcedant Novitios, Novitii Laicos, cæterique Religiosi locum singulis convenientem retineant ad formam nostrarum Constitutionum, non obstante quacumque tolerantia, sive contraria consuetudine, quam tanquam abusum reprobamus.

De executione
Regulæ,
& Constitu-
tionum.

Duodecimum. Regula Beati Alberti qualibet hebdomada; Constitutionum vero pars prima, & tertia quolibet mense perlegantur. Harum observantiam omnibus exixe injungimus, non solum quoad Orationem Mentalem mane, & vespere faciendam, aliaque magis substantialia ad interiorem Animæ culturam pertinentia, sed etiam quoad habitus internos, & externos, Cappas, Cappa, Coronas Capitis, & calceamenta, ne quid contra mores, & Constitutiones nostras innovetur, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ.

De Archi-
viiis.

Decimumtertium. Erigatur in aliqua convenienti Cellula Conventus Ulyssiponen. Archivium, ad cuius custodiam deputetur Religiosus peritus, qui illud ordinem, Protocolla, Instrumenta, jura, legata, census, privilegia, cæterasque Scripturas uniendo, & registrando: idemque proportionabiliter servetur quoad Archivium Provinciæ in eodem Conventu Ulyssiponen. constituendum.

De Procura-
toribus Cœ-
nobiolorum.

Decimumquartum. Religiosi ad subsistentiam Villarum, Vinearum, & Camporum deputati, nullomodo audeant sive per se immediate, sive per alios emere nomine proprio Vineas, Possessiones, Domos, Oleum, triticum, aut alia ejusmodi sub pœnis contra Clericos negotiatores, & Religiosos proprietarios a Sacris Canonibus constitutis; quinimo ne quidem nomine Conventus quidquam, vel contrahere, vel distrahere præsumant sine expresso Prioris, & Clavariorum consensu, quibus etiam quolibet trimestri exactam de omnibus rationem reddere teneantur; si quis contra prædicta, vel omitendo, vel committendo peccare compertus fuerit, illico privetur omni administratione, aliisque pro modo culpæ a Sacris Canonibus, nostrisque Constitutionibus, statutis pœnis mulctetur, & quatenus in aliquo fraudaverit, carceri mancipetur, & ad refectionem compellatur.

De Prioribus
& Clavariis.

Decimumquintum. Priores, & Clavarii pro tempore, habitis calculis cum Commissariis, seu Deputatis ad recipiendos redditus Regiæ Cameræ provenientes ex vini introductione, authenticam referant attestationem de ab eis introductis, & solutis tempore sui Regiminis, eandemque tradant novis Prioribus, & Clavariis, qui consimilem suis successoribus exhibere teneantur, & ita deinceps in perpetuum sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis perpetuæ ad officia. Vinum quodcumque, & undecumque proveniens in Cellam Vinariam non introducatur, nisi de consensu, & in præsentia Clavariorum, qui quantitatem, & exitum, sive consummationem introducti distinge fideliterque adnotare teneantur in Libro ad hoc specialiter deputato, ita quod utilitas omnis ex vino proveniens cedat in favorem ipsiusmet Conventus, non autem Priorum sub pœna proprietariorum; super quibus Provinciales pro tempore invigilent, & in Visitatione rationem de omnibus exigant. Porro ad Priorum charitatem, & prudentiam pertinebit temporibus Adventus, & Quadragesimæ vinum perfectius Communitati distribuere, ut jejunantium necessitati opportune consulatur.

Decimumsextum. Ad plura, & maximi sane momenti incommoda vitanda, nullus in posterum admitti possit ad suffragium ferendum in Electionibus Sociorum Priorum ad Capitulum Provinciale iturorum, qui duodecimum professionis annum non compleverit sub pœna nullitatis electionis, quibuscumque contrariis non obstantibus. Excipiuntur Sacræ Theologiæ Lectores, ac Conventuum subprios, de quorum prudentia, zelo, ac pietate confisi, volumus, quod etiam prædictum tempus non expleverint, suffragium tamen ferre possint; sicuti etiam quoad alias electiones, cæterasque Communitatis determinationes nihil intendimus innovare.

Decimumseptimum. Designantur pro studiis speculativis Philosophiæ, ac Theologiæ Collegium Conimbricense, necnon Collegia Eboræ, Mouræ, & Ulyssiponen., pro studiis Theologiæ moralis methodice a Lectoribus quotidie legendæ, quorum unus Sacræ Scripturæ, Patrumque sensus explicare teneatur, ac per omnia Decretis a Patre Generali alias editis in ordine ad studia, & a SSmo D. Nostro Innocentio XII. Pontifice Maximo confirmatis sub die 11. Octobris 1692. Conclusiones pro Lectoribus obtinendis sustinendæ sint tres ad minus, & publice defendantur in Collegiis Conimbricen., Ulyssiponen., & Eboræ, vel in Capitulo Provinciali. Eæ vero non seligantur ex eodem Libro Sententiarum, nec ex eadem parte Theologiæ; sed in uno Collegio ex prima parte, in alio ex prima, vel secunda secundæ, & in alio ex tertia parte, vel de Sacramentis, vel de Morali in Collegio Theologiæ Moralitatis, ita quod in his tribus Conclusionibus se universaliter in tota Theologia peritos ostendant. Absque hoc experimento nemo ad oppositiones pro Lectoribus admittatur, sed neque illo juvari quisquam possit, qui Theologicum cursum non expleverit. Teneantur Lectores alternatim Conclusionibus præsidere, habendis intra Claustra quidem quolibet mense cum interventu Magistrorum, ac Communitatis quolibet vero bimestri publice cum interventu exterorum. Si quando in Universitatibus, aut aliarum Religionum Collegiis invitabuntur, arguere teneantur juxta distributionem a Regeunte, seu Studiorum Præfecto faciendam ordine servato; si arguere recuserint, suarum Lectarum cursus non admittantur pro graduum consecutione; si vero Regenti, aut Studiorum Præfecto contumaces non obedierint, Lectura priventur. Pari modo Studentes ad assentiam extraneorum Conclusionum a Regeunte, vel Præfecto deputati prompte obedire teneantur sub pœna privationis Studiorum, perpetuæque inhabilitatis ad eadem.

De Colle-
giis, Lectori-
bus, & Stu-
dentibus.

Decimumoctavum. Cellulæ Religiosorum ex hac vita decedentium, quæ non fuerint alicui assignatæ per Decretum Sacræ Congregationis, vel à SSmo D. Nostro, vel ab Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Nuncio Apostolico matura consideratione distribuantur juxta nostras Constitutiones, servatis servandis, & habita ratione Dignitatis, gradus, antiquitatis, meriti, ac necessitatis cujuscumque. Actum die, anno, & loco quibus supra &c.

De Cellulis
Religioso-
rum.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio sub-
jungebat, tamen Decreta hujusmodi a Venerabili Fratre Georgio Archiepiscopo Leodien. Nostro, & Apostolicæ Sedis in Portugallia, & Algarbiorum Regnis Nuncio confirmata fuerint, nihilominus dictus Joannes Prior Generalis illa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ quoque confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsius Joannis Prioris Generalis Votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti,

Relata De-
creta confir-
mata fuerat
Nuncio Apo-
stolico.Preces Prio-
ris Gen.

aliique

Confirmatio
relatorum
Decretorum.

alisque Ecclesiasticis sententiis, censureis, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium prepositorum consilio, omnia, & singula Decreta preinserta ab ipso Joanne Priore Generali edita, ut preteritur, auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet inter- venerint supplemus; salva tamen semper in premissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Clausula.

§. 4. Decernentes easdem presentes literas, ac Decreta hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis prefatorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XI. Februarii MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXVIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcop. & Reg. super familia Cœnobii Montis Sancti Carmelitarum de Urbe, & Tabella Versiculorum.

Hujus Pontificis Const. ed. 1692. Oct. 11. P. 2. extant Decreta circa studia, & Const. ed. 1698. Aug. 30. P. 8. agitur de quatuor Assistentibus Generalibus.

Dat. 15. Febr.
1696. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa Ro-

mana verten. inter Patres Carmelitas Primi Instituti Siculos ex una, & Patres Romanos, & Status Ecclesiastici ejusdem Instituti partibus ex altera, de, & super assignatione familia in Conventu Montis Sancti de Urbe, necnon Tabellæ, seu exercitio munerum versiculorum, & Cantorum in Choro, ac Lectorum in Mensa &c. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita, Partibus ipsis informantibus, referente Eminentissimo Petruccio, censuit, ac decrevit, super prædicta assignatione Familix servandas esse Constitutiones Ordinis part. 1. capit. 5. s. ultimo, non obstante voto Commissariorum, prout presentis Decreti tenore servari mandat, & præcipit. Quo vero ad Tabellam, seu exercitium Munerum versiculorum &c. Stetit in Decisis, per ipsam Sacram Congregationem sub die 29. Julii 1689. Romæ 28. Novembris 1692. -- G. Cardinalis Carpineus A. Altovitus Secretarius --

Decretum in
causa inter
Carmelitas
Siculos, &
Romanos.

Preces FF.
Status Eccle-
siastici

§. 1. Cum autem, sicut dilecti filii Priores, & Fratres status Nostri Ecclesiastici Provincie Montis Sancti Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desideret; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censureis, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absoluras fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum preinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus; salva tamen semper in premissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio
relati De-
creti.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicæ Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XV. Febr. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXIX.

Confirmatur Constitutio Urbani VIII. pro necessitatibus locorum Terræ Sanctæ.

Hæc Const. ultimo confirmata fuit ab Alex. VIII. Const. ed. 1689. Nov. 18. P. 1. Et postea a Clem. XI. Const. ed.